



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XVI. Tentatio Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

velut agnum ex lupo, ovem ex leone, humilem servum è vipera, qui per omnem vitam te sequetur, sicut desideras.

*Osee 2. 14.*

V. Tu per Prophetam promisisti animabus, à te separatis, te ducturum in solitudinem, & ibi locuturum eis ad cor: tu scis quæ sit ea solitudo, ubi sine turbis ac strepitu rerum terrenarum possis audiri: quæ sit, ego non intelligo; sed hoc bene scio, quòd, ubi te solum audirem, & tu loquereris ad cor meum, ibi plenus essem te, & tibi satisfactum esset in me. O solitudo plena omnium bonorum, qui te aliquando posses videre! Ah Domine! duc me in illam, loquere mihi ad cor: loquere, Domine, & ego audiam: obmutescant omnes aliæ voces: vox enim tua dulcis, & eloquium tuum suave. Mox uno momento me purgares, me tuo amore corripes, mihi verteres in amaritudinem omnia, ne me disjungant à te. Taceant igitur omnia, loquere tu solus, Magister meus, ac Dominus meus, divinus Consolator meus, & purus amor meus.

*Beata solitudo cum  
IES V.*

VI. O Mater DEI, ovis purissima, quæ nunquam errasti, sed semper secuta es in spiritu Dominum, & à societate ipsius accepisti plura bona, quàm simul omnes aliæ creaturæ: participa cum hoc pauperculo: fac, ut recipiatur à Domino, & possideatur totus ab eo, ne ulla res alia vel minimam mei particulam retineat. O Curia cælestis, duc me in hoc desertum cæli, securum à nostris periculosis tumultibus, plenum æternis deliciis, & bonis gloriosis: & quia sum creatus, ut sim in vestra societate, impetrate mihi vivum desiderium ejus, quod vos indefesso studio procurastis, ac tali modo transire per adversa hujus vitæ, ne vestrà beatà societate priver. Amen.

## ÆRUMNA XVI. Tentatio Domini.

I.

*Diabolus  
tentat sub  
specie boni.*



Ransactis absque cibo 40. diebus, Christus permisit naturam suam ita debilitari, ut diabolus putaret se bonam occasionem habere, illum tentandi, sine sui manifestatione. Solet enim uti hoc astu, ut observet, quando possit sub specie faciendi boni, vel necessitatis, vitandi saltem majoris mali, incautos seducere. Quamquam apud eos, qui



qui sponte ipsi obediunt, hâc fraude opus non est: etenim ut pri-  
mum petit, ei tanquam Domino, dant liberum transitum: nec tam  
timent facere peccatum quodlibet, quàm ab eo sanari. At cum  
vocantur à Deo ad pœnitentiam, & obedire volunt, sentiunt gra-  
vitatem culpæ, molestiam tentationis, & insidias hostis ægrè di-  
scedentis ab arce dudum infessa. Illi ergo propriè tentantur; qui  
resistunt diabolo: cujus ut exemplum haberent, voluit Dominus  
tentari per insidias, post 40. dierum secessum, contemplationes  
rerum cœlestium, & mirandos excessus amoris.

II. Mirum valde, quòd sustinuerit se Dominus tentari ad  
peccandum à creatura, tam vili & maledicta. Sed quia se obtu-  
lerat ad patiendum omne genus mali, sine peccato, ideo etiam su-  
stinere dignatus est tentationem, quod periculi & laboris plus ha-  
bet; ut etiam in hoc genere se socium haberemus. Quod ut fieri  
posset, abscondit diabolo non tantum divinitatem, sed etiam glo-  
riam animæ; quam, si novisset, nunquam esset aggressus: quia nô-  
rat se beatum nullum posse seducere. Videbat quidem sibi datam  
licentiam, eum foris tentandi, sine ulla limitatione, apud alios  
Sanctos ei præscribi solita; ac tantam puritatem esse ejus animæ,  
ut nullâ malitiâ suâ, dolove posset turbari: quia tamen superbiam  
suâ ita excæcatus erat, ut non crederet Deum (quem non ignora-  
bat aliquando assumpturum carnem humanam) adeò se humiliare,  
ut sineret se ab ipso tentari; & putaret ea, quæ cernebat in Domi-  
no, esse dona Dei specialia, non autem perfectiones naturales, &  
propria attributa: etsi perpetuò suspicaretur aliquid divinum de  
ipso, ideòque nihil omitteret, quo posset in rei cognitionem veni-  
re. Igitur ex occasione famis, ac debilitatis corporeæ, sumpsit spe-  
ciem eremicolæ, compatientis ipsi, & revocavit ipsi in memoriam  
favorem, quem nuper à Deo acceperat, cum de cælo vocaretur  
Filius dilectus, sicut olim etiam populum suum vocaverat, cui  
proinde inter alia beneficia in siti aquam de petra produxit: non  
minus ergo facturum ipsi panem ex lapidibus, modò ipse id velir.  
Hæc aut similia dixerit nequam, ad occultandam suam personam,  
& colorem inducendum suis consiliis.

III. Varia hîc afferuntur de his tentationibus, ut, quòd  
1. fuerit gulæ, quâ lapsus est Adam: 2. Superbiæ, quâ cecidit Eva:  
3. Ido-

vel necessi-  
tatis.

Diabolus  
non credidit  
tantam hu-  
militatem  
cadere in  
Deum in-  
carnatū,  
ut sineret  
se ab ipso  
tentari.



3. Idololatriæ & cupiditatis, quâ totus mundus corruptus est. Alii dicunt, eos adumbrari, qui vincuntur à diabolo. Primò per voluptates & epulas, quibus tanquam lapidibus anima sustentari non potest. Secundò per vanitatem ac superbiam, quâ sic extolluntur, ut casu graviore ruant præcipites. Tertio per avaritiam, quæ juxta Apostolum est idolorum servitus. Alia multa proferuntur de responsis Christi, quæ in omni tentatione sunt arma tutissima, & excellentissima remedia animarum errantium, ut reducantur in viam. His omisissis, aptius huic loco dicunt alii, diabolum ad nos decipiendos, observare inclinationem cujusque, ut secundum eam struat insidias, si bona sit, virtutis specie, colorando sua mala, ei obsecundando; semperque curando, ut lateat, ac tegat insidias. Et cum undique oclusam videt animam, inserit se in dona & favores divinos, qui licitè possunt desiderari & acceptari; ut videat, an per excessum aliquem, aut ingratitude, aut proprietatem, aliumve modum possit venenum aspergere. Sic tentavit Christum in fame, per speciem summæ sanctitatis, quâ diligebatur à Deo ut filius.

*Tentator  
observat  
nostram in-  
clinationem.*

*Purus  
amor Dei  
plenus est  
fiduciâ.*

IV. Proprium est perfectæ virtutis, maximè charitatis & puri amoris Dei, vivere in securissima confidentia in illo, & nihil curare, quod occupet, vel distrahat animum, omnia divina providentiæ remittendo. Sic erat Paulus Eremita, quem Deus 90. annis aluit in deserto: sic alii, quorum Deus habuit curam: quia tam est fidelis, ut, quisquis ei plenè confidit, ei nihil patiatum de esse. Et hic tantus est gradus virtutis, ut habeat similitudinem quandam vitæ cælestis in terra; nec assequatur eum, nisi cui Deus ipsemet illum inspirat. Quos enim in tam felicem regionem pacis inducit, eos ipse gubernat, liberando illos ab omni errore & illusionem, & cogitatione terrena, totos occupatos in Deo. Quod qui sine bono fundamento affectant, incidunt in multa inconvenientia, errores & pericula: quia nondum acceperunt hoc donum à Deo; & necessarias occupationes vitæ statûsque sui omittentes, pro pace turbas incurrunt & laqueos. Videns ergo diabolus Jesum tanto tempore sine omni cibo vivere, cum Eliam panis ab Angelo datus, Moysen gloria, in qua cum Deo versabatur, sustentaverint; judicavit eum esse admodum perfectum; & hinc eum aggressus



gressus est, an confidentiâ in Deum veller abuti, cogitando se id bene mereri, ut miraculo fami succurrat. Quæ tentatio temporî accomoda & occulta erat, cum appareret melius, per confidentiam in Deo, succurrere necessitati præsentî, quàm distrahi quærendo aliud humanum remedium: re ipsâ verò humilitatis erat, agnoscendo propriam infirmitatem, quærere medium licitum & consuetum, quando Deo non placebat facere miraculum: essetque pervertere ordinem charitatis, merito fiducia in Deum quærere tantum escam corporis. Aiebat verò: *Dic, ut lapides isti panes fiant*; ut observaret, an solo imperio id faceret, ut Deus, qui dixit, & facta sunt; an ut purus homo, in tanta necessitate vacillaret in summa confidentia, quam habet perfectus amor in Deum. Sed Christus mox evertit ejus fundamentum, ac fraudem detexit verbis Moysis, quæ dixit populo docens, eum timere Deum, & ejus mandata servare; dans eis hoc pro præcipuo medio conservandi gratias acceptas ab eo. Meminissent ergo, quomodo Deus aluisset eos 40. annis in deserto pane de cælo; ubi deerat omne alimentum humanum, ut videret, præcipuum medium sustentandi vitam humanam esse, servire, ac satisfacere verbis & mandatis Dei, qui novit etiam sine pane sustentare homines, quando vult. Atque ita dicere voluit Christus, non esse, cur fiat hoc miraculum, quandoquidem Deus eum tamdiu sine pane servaverit. Unde indignum est homine capaci Dei divinorumque bonorum, magis à rebus corporis pendere, quàm à Deo, qui suâ potentiâ & providentiâ omnia regit, atque sustentat.

V. Alia duæ tentationes pariter ad evertendum fundamentum perfectæ charitatis tendebant. Credens ergo diabolus, Dominum esse purum hominem, transtulit eum in pinnaculum turris templi, quæ secundum antiquas ideas, erat supra primariam portam, altissima. Finxerat hîc dæmon, ædificari se valde tantâ fiducia in Deum, adhortans, ut in ea persisteret; quandoquidem servi & filii Dei possunt omnia, cum peculiaris eorum cura demandata sit Angelis; qui proinde sine dubio sint eum sine periculo deportaturi, si ipse mittat se deorsum, sicut videbat, se manibus eorum translatum in illud pinnaculum. Non enim credendum est,

*Et humilitatis est, uti mediis consuetis.*

*Diabolus  
Iesum*

Bb

eum



non in as-  
sumpto cor-  
pore phan-  
tastico, sed  
Angelica  
virtute  
transiit.

cum assumpto corpore fictitio Dominum attrectasse ac detulisse, sed invisibili virtute Angelica, quam habet ex natura sua in res corporeas. Dirigebatur autem hæc tentatio præcipuè ad æstimationem sui ipsius, confidentiam propriæ virtutis, in casu planè temerario; ex quo nihil erat oriturum gloriæ DEI, nec erat ulla obligatio, vel necessitas se deijciendi pro honore divino, sed mera tentatio DEI. Operiebatur autem hæc sui æstimatio, & fiducia in suis meritis, eadem fiduciâ in Deum, quam Dominus prius ostenderat. Nôrat diabolus DEO nihil magis displicere, quam æstimationem propriam, quâ cecidit ipse cum sociis. Erat verò jam turbatus nonnihil, ut minùs dissimulare se posset; uti semper ei contingit, cùm animosè repellitur, & agnitus est initio: ac licet reticuerit sequentia verba Psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis*; tamen id eum non juvit, quin appareret victum fuisse.

Vera fiducia  
sic à DEO  
regi s. finit  
ut omnis  
honor re-  
dundet in  
ipsum.

Quia Dominus paucis eum confudit, dicendo: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: simul indicans modum perfectæ fiduciæ in Deum, quam habet purus amor. Hic enim, ubi plantatus est in corde hominis, facit, ut instar humilis oviculæ sinat se regi à Deo, cum tanta diffidentia & vilipensione sui ipsius, ut in Deum solum honor omnis redundet; obediendo humiliter sine temeritate, & accommodando se omni mutationi, quam ordinaverit providentia sua, nullâ re externâ, quam tractare debet, animum suum occupari sinens & distrahi à Deo, cujus voluntati totus inhæret. Hunc autem ordinem diabolus conatur turbare, animum ab unione Dei ad propriam existimationem divertens.

VI. Dæmon plenus rabie & superbiâ, depositâ dissimulatione, versus est ad apertam impudentiam; Deo id permittente ad majorem ejus confusionem: quod semper contingit, cùm quis fideliter perseverat in tentatione, ut frustra consumptis dolis, aperè aggrediatur hominem: unde patescit, quantò minùs sapiat superbus hostis, quàm humilis Dei servus, & manifestè cognitus superetur faciliùs. Ergo transiit Christum in montem excelsum valde, & ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis, ut sanctus Lucas ait, utique per imaginariam representationem, promittens hæc omnia se illi daturum, si se adoret. Cùm enim neminem  
videat



videat ipso digniorem, neque conveniat remanere eum in obscuro, qui sit aptissimus regere totum mundum, meritò ipsi tanta regna committi. Nempe volebat, ut in tanta perfectione se non judicaret inhabilem ad mundum regendum. Vilis tentatio ab inimico jam prodito ac desperante victoriam: sed quæ servos Dei non rarò invadit occultè, ut, cum vident hominum corruptelam, putent, se opem laturos, si potestatem haberent; & sic amittant interiorè pacem, neque tamen aliis profint. Sed perfecta virtus nunquam sinit servos Dei cogitare, se idoneos ad res, in quas ipsos Deus non mittit. Imò nec si mittat, credunt se aliquid posse, nisi quantum sentiunt se gubernari, doceri & juvari à Deo. Non tulit Christus tantam impudentiam hostis, sed iussit eum facessere: postea accesserunt Angeli, & ministrabant ei panem & aquam, quibus reficeret corpus, & gratulabantur victoriam, gloriam Verbi Incarnati laudantes. Neque hinc tamen diabolus cognovit Christum esse naturalem Filium DEI; quia modus vincendi fuit ordinarius, & quo omnes uti debemus.

*Tentatio  
alios regendi non rara apud servos DEI.*

VII. Ceterùm ex ultimo verbo Domini, quo fugavit inimicum, discimus, quantum possit voluntas resoluta & generosa: quia diabolus eà statim frangitur & fugatur. Cum autem nos vincit, ante omnia id agit cum voluntate nostra, ut sibi det audientiam; quâ obtentâ detineamur in illis cogitationibus: tum sequitur gustus & delectatio rei suggestæ: hinc tepor in fugiendis occasionibus: mox debilitantur vires animi: perit reverentia & respectus DEI: succedit voluntatis consensus, ac diabolus procurat, ut etiam veniatur ad opus. Deinde operis experientia semper stat armata contra animam, ut appetitu semel accenso redeat in desideria rei jam cognitæ; & experientia renovata faciat consuetudinem, quæ veluti catena miseram semper astringit arctius. At si voluntatem reperiat hostis bonâ resolutione munitam ac surdam initio, & generoso imperu rejicientem ipsum à se, statim debilitatur, & nihil potest efficere. Unde cum resoluta voluntas tam sit potens, culpâ non vacat, quando ingravescit tentatio: Deus enim, qui semper gratiâ suâ confirmat voluntatem humiliter id petentium, novit tentationem nunquam esse fortiorem nobis, nisi, quando

*Voluntas  
generosa &  
resoluta  
diabolum  
fugat.*



voluntariè flaccescit propositum ei resistendi, neque statim resistimus ab initio. Addit sanctus Lucas, diabolum à Domino recessisse usque ad tempus; quia scilicet postea sæpe multumque tentavit per suos ministros, Judam & Judæos; quandoquidem ad animam ipsius tam puram penetrare non potuit, cum omni rebellionem carnis careret, quâ plerumque ad nos evertendos abutitur. Unde Christus in tentatione nullum periculum aut difficultatem habuit: sed quod hac ex parte deficit, divinæ suæ Majestatis tantâ humilatione, quâ se tentari sinebat, abundè supplevit; nobis id relinquens solatii, quod se socium habeamus in tentationibus, dum admiranda inventionem amoris ad omnia nostra onera se demisit, modum ostendens, & gratiam præbens ea ferendi.

*Tres cause,  
cur se Iesus  
tentari per-  
miserat,*

VIII. Tres ob causas voluit Christus tentationem subire. Primò: probandæ: secundò exercendæ virtutis: tertio inimici debilitandi. Nam primò sæpe Deus tentari sinit suos, ut virtus, quæ in pace lateret, appareat; & unusquisque videat, quàm longè aut propè absit ab illa. Pax enim occultat sæpe defectum, aut perfectionem, quam prodit tentatio: ut obedientiam Abrahæ, constantiam Jobi, patientiam Tobia, timiditatem Petri. Ita Christi humilitas multis injuriis patuit, fortitudo laboribus, amor tormentis. Secundò Tentatio præbet occasionem exercendæ virtutis; nobis, ut in ea crescamus; Christo, ut exemplo doceret, quanta puritate & perfectione sit exercenda: nam in illo crescere virtus non potuit, sed imitandi sui exempla præbere: quibus, si nos hostis videat insistere, animis cadit hoc ipso; quia recognoscit in Christi imitatione arma, quibus est victus: at si in imitatione illa segnes inveniatur, ac tepidos in exercitatione virtutis, videt nostram debilitatem, & alacriter invadit imbelles. Tertio. Infirmatio diaboli non consistit in adimenda ipsi licentia nos tentandi, sed in adimendo jure, quod per voluntariam Adæ subjectionem in nos acquisiverat. Quo jure Dominus eum spoliavit, non per vim & potentiam, quâ erga tam vilem ac damnatam creaturam opus non erat; sed per justitiam, ut sanctus Leo notavit. Dum enim Filium DEI diabolus innocentem adegit in crucem, ingens admisit piaculum, propter quod meritò spoliatus est jure, quod in nocentes habebat:

qui



qui proinde liberati ab ejus tyrannide, tanquam cum injusto invasore configunt, velut legitimi heredes regni æterni, quo ille exclusus est: ut omnes ejus doli & pugnæ, quas antea patiebantur in pœnam, nunc ipsis cedant in gloriam. Unde, ut S. Eusebius Emesenus notat, misera nunc est diaboli conditio, dum tota ejus rabies non est aliud, quàm medium, ut justis obtineant, quod ipse vellet eis eripere: ac totus furor, quo se armat in servos Dei, replet Ecclesiam meritis, perficit animas in virtutibus, coronat justos æternâ beatitudine, cælum implet exercitu Martyrum, & aliorum Sanctorum.

Ex quo etiam discas, quàm sit infelix, qui se ab hujusmodi inimico sinit vinci, spontè se tristi ejus jugo submittens, à quo liberatus jam erat: dat ei vires & arma contra se, quibus eum Christus exuerat: præbet ei causam gloriandi de sua perditione, à qua Christus eum vindicaverat: excidit bonis æternis, quorum jus pretiosissimo Christi sanguine comparatum habebat: infilit in supplicia, è quibus à Christo jam erat ereptus.

*Miser, quò  
a diabolo  
sinit se vin-  
ci.*

## E X E R C I T I U M

### De Tentatione Christi.

#### I.

Omnipotens Deus ac Dominus meus, qui infinitam potentiam tuam nulla re magis ostendis, quàm ignoscendo peccatoribus & miserendo, quos ad imaginem & similitudinem tuam creasti! auge in me magnam misericordiam tuam, & fac, ut nostra corda terrena te ament super omnia, & perveniamus ad magna illa præmia, quæ promittis: quandoquidem tanta sunt, ut excedant omne desiderium nostrum, ac merentur totum cor nostrum. Quid magni tibi est, facere res nihili, & punire unam ad eò debilem creaturam? quò minùs nos redigas in numerum eorum, quæ non sunt, nemo tibi contradicet: ne destruas justè, qui te injustè laeserunt, nemo poterit resistere. Sed ut frangas duritiam mei cordis ingrati, & vincas justas querelas, quas magnis vocibus contra me profert justitia tua divina, & misericorditer ignoscas, quæ promerui, potentiæ est infinita: & quia infinita est, potest facere quid-

*Frangere  
duritiam  
peccatoris  
est infinita  
potentia.*



quidquid volueris, sine præjudicio tuæ justitiæ, & pauperis creaturæ destructione. Adoro te, magne Deus: quis est tam magnus, quàm tu? tam potens, quàm tu? tam justus & misericors, quàm tu? Infinitas tibi gratias ago pro fide mihi donata, qua te habeo pro Deo meo; pro spe, qua me obligas ad multa speranda à te; pro amore: quo vis toto corde à me diligi.

II. Sed penes te est, Omnipotens Deus, elevare tuâ potentiâ cor meum ad magnitudinem, quæ est in te, & quam communicare vis mecum. Tu potes, quidquid vis. Si vis, potes illuminare cæcitatem meam: si vis, potes vigorem dare infirmitati meæ: si vis, potes implere me gratiâ, subicere tibi me totum, & elevare vilitatem meam ad communionem puri amoris tui. Ah mi omnipotens & misericors Jesu! Loquere, Domine, ad hunc leprosum: loquere, Domine, ad hunc miserabilem: dic, Domine, ad hunc peccatorem, qui totus est tuus: dic, æternum Verbum Patris: dic, ut audiam, dic unicum *Volo*, & purus ero, fortis ero, ero perfectus amator & imitator tuus: quia ero, quidquid vis. Ex aliis rebus magnis, quas fecisti propter me, tantum quia voluisti, disco sperare ab hoc tuo amore, quidquid mihi est opus. Voluisti pro me fieri homo, & fuisti, quia voluisti: voluisti assumere formam servi, & per omnia mihi assimilari: voluisti in te recipere mea debita, & satisfacere pro illis etiam morte: voluisti meæ stupiditati tradere tuam caelestem doctrinam: voluisti vincere meos inimicos, & docere me modum pugnandi cum illis, ac tuam divinam personam ac majestatem demisisti, ad congregandum eum putidissima, & maledicta tua creatura infernali, quam à te projeceras, & quæ tibi tam malè vult: sustinuisti, ut solitâ suâ malitiâ invaderet puritatem tuam, ac tartarea malignitate supersubstantialem innocentiam tuam laceraret. Permisisti te deportari ab hac bestia, quocumque voluit, & illam eò impudentiæ procedere, ut à divina majestate tua peteret adorari: & quamvis te ipse haud nôset, tu tamen Deus meus, qui sic volebas, probè scivisti magnitudinem tuam, & vilitatem illius nefandi sollicitatoris. Plurimum te humiliasti, Domine, cum te subjiceres pedibus mortuorum tuorum in passione tua; cujus ministros, etsi forent im-

probi.

DEVS  
potest,  
quidquid  
vult.

Ex illis, quæ  
fecit robo-  
ratur no-  
stra fiducia.

Mira di-  
gnatio Do-  
mini. Jesu.



probi, tu tamen amabas, ut eos saluares; exercebant impiis manibus tuam virtutem, qua cupiebas eos sanctificare: spargebant sanguinem, quo eos lavabas: & multi eorum per cruciatus, quibus te afficiebant, consecuti sunt gloriam, cum ex fructu victoriae & humiliationis tuae conversi, redderent tibi vitam suam & sanguinem. Sed diabolus tentator, hostis tuus ac tuorum, insanabilis suis malis, obstinatus in malitia, contemptor tuae bonitatis, indignus tuo conspectu, Deus meus! quomodo voluisti, ut alloqueretur, tentaret, impugnaret te, ut solet miseros peccatores? quomodo dignatus es luctari, & congregari cum infernali spurcissimoque dracone? quomodo permisisti, ut superatus omnem suam furiam in te evomeret per suos ministros, & in Crucem te adigeret? ut gloriari posset, se obtulisse tuis conatibus, vitaeque te spoliasse? Ita, Deus meus! aliud nescimus, quam te sic voluisse, sic fecisse, & meam causam voluisse, & fecisse. Rationes, cur ita volueris, in me nullae sunt; in te sunt, cur voluntas haec esset sanctissima, ordinatissima & iustissima; & quod ego non capio, potentia & misericordia inveniunt convenientiam, qua glorificeris in omnibus, semper tibi similis, semper infinitus, aeternus, omnipotens.

III. Quid ergo, Domine mi, nunc impedit bonitatem tuam, ne velis potentiam tuam, ne facias id, quod peto? Da mihi ergo lucem tuam, amorem tuum, puritatem, misericordiam tuam, fortitudinem tuam; & fac istam creaturam tuam, qualem vis. Si pro omni re tibi non adeo congrua, invenit bonitas tua sufficientissimas & iustissimas causas, ut velles & faceres; an pro sola re tibi tam propria, tam conveniente magnitudini tuae divinae, & virtuti Redemptoris ac Salvatoris, qua potes explicare potentiam, ac bonitatem tuam, misericorditer mihi largiendo, quod peto, causam non invenis? Non mereor, verum est: sponte peccavi, omnes rationes ex parte mea, cur id non facias, sunt verissimae; sed superat eas bonitas tua: excedit omnipotens misericordia tua, ut me cures, me sanes, me restaures, me facias talem, ut sis mecum contentus.

IV. Igitur mi divine Reparator, omnipotens JESU, Salva-  
tor ac Deus meus, quando me tua Fides docet, talem te esse, ut  
a te

*ibi non est  
ratio men-  
tis, sufficit  
amor Dei.*



contra tenta-  
tionis.

à te solo possim ac debeam sperare magna, quæ non promereor; quanta possim confidentia & humilitate, repræsento tibi necessitatem meam, ut adjuves. Vide, Domine, quod, si dæmon est ausus invadere tuam incomparabilem puritatem, in qua se videbat nihil juris habere, quàmque formidabat; & si arma sumpsit contra innocentissimam tuam personam, invincibilem fortitudinem, perfectissimam virtutem, & contra opera tua divina, ut everteret ea, vel saltem impediret, quæ operari volebas in mentibus hominum; quid faciet, aut quid omittet facere in me paupere, nato in miseris,merso in luto, pleròque pravis inclinationibus? Tu vides, Domine, quòd hic dirus leo non dormiat, semper quærens mihi nocere: omnia contra me tentat, miscet se omnibus, à nativitate mea hucusque: quidquid facio boni, corrumpit; semper intentus, ut me decipiat, semper excogitans dolos, ut me vincat. Etiam in somnis ab eo tutus non sum: cum evigilo, nullo momento temporis, nulla occasione prætermissa me tentat. Jam se transformat in Angelum lucis; jam induit se tuis donis; jam se transfigurat in speciem virtutis, aliquando assumit colorem mearum inclinationum, & omni modo, tempore, loco; in omni actione interna, externâ; in omni re bonâ, malâ, me tentat, fictus, dissimulator, cavillosus, ingeniosus, dexter ad insinuandum se mihi, ita ut ego non sentiam, nec intelligam. Quando me non potest inducere in peccatum, saltem inquietat suis tentationibus, fatigat importunitatibus, in periculum conjicit suis phantasias. Ardet contra me irâ, acuit in me suam invidiam, ne potiar bonis, quæ perdidit; in auxilium convocat omnes furias inferni, vanitatem mundi, appetitus miserabilis meæ naturæ, inclinationes sensuum, conditiones hominum, inter quos versor, eventus rerum, varietatem temporum, ipsa adeò peccata mihi dudum remissa; & cum tua divina misericordia me comittit. Ex quo sum natus, invenio semper hunc hostem ad latus; & quando illum minimè cognoscebam, erat mihi vicinior & magis nocebat. Ah divina fortitudo mea, bone mi JESU! quid faciet creatura hæc pauper, infirma, terrena, contra talem hostem, tam plenum malitiâ? quis ego sum ad  
diram



diram hanc pugnam? in quo, Deus meus, confidam in tam continuo & crudeli bello? Scio bene, Domine, quod inimico non concedas, ut supra vires me tentet, & quod possim cum gratia tua victor evadere, magno meo commodo: per hoc me excusare non possum. Sed hoc misericordiae tuae confiteor, non excusando, sed agnoscendo miseriam meam, petens remedium. Tu, misericors Domine, cujus pietate vivo, qui me toleras, & exspectas, vides, quoties hic inimicus potiores apud me partes obtineat. Illi praebeto aures, & tibi clausum cor habeo; & quia me sibi videt esse tam obsequentem, fit contra me semper audacior; & si ad te confugiam, furia majore me insequitur, quia ipsum admisi, meque illi permisi.

V. Novi me semper fieri debiliorem, quia mea voluntas re-  
 culavit tuum auxilium: mea sponte debilitor. Nihil enim posset  
 in me improbus hic persecutor, si non foret voluntaria mea infir-  
 mitas & negligentia. Merito me inimicus apud me accusat; quia  
 optime scit, si non vellem, se mihi nocere non posse; nec vincere,  
 nisi volentem. Quare, mi Domine, mare immensum infinitae bo-  
 nitatis & misericordiae! jam sum in ejus unguibus, jam praecipitavit me, jam agit mecum pro libitu, & mei dira fames crescit in illo. Me solum culpo in omnibus. Erone propterea, coram hoc infinito pelago misericordiae sine remedio? quare tu es meus Redemptor, nisi ut me liberes? Quare tu es omne bonum, nisi ut a malo me eruas? O Bonitas infinita sanctifica me: o Pietas divina! mihi ignosce: o Potentia infinita! libera me ab hoc hoste, & a me ipso. Tu vides, Domine, illum non quiescere, donec omnino me perdat: custodi me tu: maneat ille famelicus, & ego per te liber evadam. Recordare, quod non volueris cum illo pugnare, nisi ut ego tua virtute ipsum vincam. Ergo, Domine, pugna pro me, & eum vince in me. Verum est, quod praeceperis, ut tibi soli obediam, te solum adorem; & ego mea sponte serviverim huic infelici meo inimico, & omnibus meis sensibus & appetitibus, quibus multum juvatur; & ita curaverim suggestiones & amorem eorum, ac si forent ipsi Deus meus: & propterea dominantur in me. Mandasti quidem, ne sim temerarius, & ne tentem te: & ego sine temeritate



ritate non audeo venire in conspectum tuum in potestate cupiditatum mearum; & fui tam demens, ut sperarem salvari incedendo per viam perditionis, ac sæpe volui sceleratas meas delectationes, & voluntatem diaboli conjungere cum tuo servitio; quod sicuti non potuit fieri, ego me præcipitavi in multorum peccatorum miseriam, & in portas inferni,

VI. Hoc est, Domine, quod ego feci; sed tua est misericordia. Erravi, bone Pastor! peccavi, bone JESU! feci de meo, sanctissime Deus! Ideo tu dixisti, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni opere manuum tuarum, & in virtute cordis tui, & in pietate verborum divini & suavissimi oris tui. Si ergo, Domine, non possum non esse tuus, & tu meus, quomodo moriar? Aperi, bone JESU! thesauros tuos, & erige vilitatem meam: da mihi robur contra hunc hostem; ignosce mihi delicta præterita: da mihi vitam, vigorem & fortitudinem, ut tam fideliter pugnem, quam ignavus fui hactenus in certamine, in quod me misisti. Qui sum ego, Domine, ut pugnem & vincam? Sed tu, Dux meus, qui humilitate tuâ vicisti meos inimicos, non reliquisti mihi efficacius medium, quàm illam contra omnes illorum assultus. Confiteor, Deus meus, quod absque divinâ tuâ virtute nihil possim: quod si nollem fateri, ipsi lapsus mei contra me testarentur, quibus per superbiam eò decidi, unde sine tua ope non possum resurgere. Præsens mea voluntas est, te non ampliùs offendere, neque ampliùs consentire meo inimico: sed etiam scio, quod non habeam vires pugnandi, nisi tu pugnes pro me.

## O R A T I O

## Psalmi De Profundis contra Tentationes.

*De profundis clamavi, ad te, Domine,  
Domine exaudi vocem meam.*

I.

CONFITEOR, Deus meus, quod me posueris in statu sublimi, circumdato misericordiis tuis; at ego infelix præcipitavi me in profundum amoris terreni, in profundum voluntatis inimicorum meorum, in profundum infirmitatis ac cæcitatatis, in profundum vitio-



victorum à te separantium; & sepelivi me in profundo cipporum & catenarum, quæ tenent & humiliant animam meam, ut lumen cæli non videam, nec sentiam tua divina dona & lumina, projectus in profunditates distantiarum, à te longissimè separantium. Tu verò me vides & mandas, ne desperem: propterea altissime & misericordissime Deus! ex omnibus istis profunditatibus, in quibus jaceo captivus, in tenebris, languens, consumptus, & miserabilis, ad te levo spem meam, & mœstos oculos meos: ac licet non merear aspici, nec audiri; tu tamen, ne omittas conicere in me pios oculos tuos, & audire miserabiles voces, quas ad te emittunt meæ miseriæ.

*Fiant aures tuæ intendentes in vocem  
deprecationis meæ.*

II. Noli, Domine, obturare pias aures tuas ei, qui ad paternas voces tuas semper surdum se præbuit; sed ille amor, quo mandasti, ut te audirem, nunc eas aperiat ei, qui nunc implorat auxiliùm tuum. Quia, si cum misericordiâ tuâ me audias, ac sanes, ego mi bone Pastor, audiam vocem tuam, & ereptus ex his profundis sequar vocationem tuam, & faciam quidquid mandaveris.

*Si iniquitates observaveris Domine;  
Domine quis sustinebit?*

III. Si tu, Domine, ponderes gravitatem peccatorum meorum, & in justa & rigorosa bilance appendas, quod illis merui, quam spem possum habere? quas habeo facultates ad satisfaciendum tuæ Majestati pro debitis, quæ per meas culpas contraxi? si tu non temperes erga me rigorem justitiæ tuæ, quod medium habeo salutis, & ad quem levabo oculos meos? sine dubio peribo, quia à te solo, quem offendi, possum sperare remedium.

*Quia apud te propitiatio est.*

IV. Quia remissio peccatorum, misericordiâ & pietas est solùm in manu tua, nec voluisti, ut ab alia haberem remedium, quàm ab ea, quæ potest punire: quia quidquid est extra te, justè insurgit contra me, & omnia me condemnant. Habeo contra me peccata mea, ingratiudines meas, omnes creaturas tuas, quibus malè sum usus, & è quibus non profeci: legem tuam, quam



sum transgressus; inimicum, cui parui: & quidquid extra te est, meritò contra me est: & sic omnia contra me clamant, quia sum omnibus abusus ad tuam injuriam. Ego, ego ipse, sum maximus omnium, quos habeo, inimicorum; & conscientia mea certissimus testis est meorum malorum. Ubi ergo extra te, Domine inveniam misericordiam? in te solo invenitur pietas, quæ omnia sustinet; misericordia, quæ omnia condonat. Si tu mihi hoc pectus paternum claueris, quid me fiet? ubi quæram remedium?

*Et propter Legem tuam sustinui te Domine.*

V. Sed tu mihi præcepisti, ne unquam desperem, & ut, si quando me videro in periculo, te invocem, ad te convertar, qui me es recepturus, & ordinasti, ut justitia tua parcat peccatori pœnitenti: & ne quidquam desit mihi, aliam legem amplissimam fecisti, & jubes, ut misericordia tua semper, & omni hora peccatori pœnitenti ignoscat. Ergo à te ad has leges provoco, & cum his legibus, de quibus sum certissimus, quòd eas nunquam sis abrogaturus, venio obligatus ad omnes pœnas, sperando à te omnem miserationem, quæ mihi est necessaria.

*Sustinuit anima mea in verbo ejus,  
speravit anima mea in Domino.*

VI. Tu, Domine, non es talis, ut verba tua non serves: non vocas, ut occidas, sed ut vitam des: non offers misericordiam tuam, ut eam neges ad te redeuntibus, sed ut eos recipias omni cum benevolentia. In hoc verbo tuo sperat anima mea; hoc est, quod quærit hæc errans ovicula.

*A Custodia matutina usque ad noctem,  
speret Israël in Domino.*

VII. Vel, ut est in Hebræo: *Anima mea expectat Deum magis quam custodes ipsum mane.* Sicut enim, qui noctu stant in excubiis, suspirant & expectant magno cum desiderio, dum veniat aurora, ut quiescere possint à labore noctis, & gaudeant luce diei usque ad noctem; ita, & multò magis anima mea sustentatur spe, quam habet in te: quia, dum circumdant me tenebræ meorum peccatorum, & pericula tentationum, sum certus & securus, quòd solâ præsentia tuâ possis sublevare meam dejectionem, & infirmitatem.



tem : mediante luce tuâ , sperat videre ; mediante virtute tuâ , confirmari ; mediante misericordiâ tuâ , resistere difficultatibus ; mediante gratiâ tuâ , referre victoriam . Si enim tu visitaveris pauperem hanc animam , fugient omnes inimici mei , & evanescent mea peccata : dabisque mihi tuam virtutem ad resistendum & perdurandum in nocte tribulationis , ac tentationis , cum permiseris eam reverti .

*Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

*Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.*

VIII Tui sunt thesauri misericordiæ , & in eis largiendis non es parcus . Nam ubi decrevisti eos aperire , ut medearis meis malis , quid intermisisti pro mea salute ? liberalissimè tribuisti mihi , quidquid habes ; & promisisti , quidquid possum optare & copiosissimè succurristi necessitatibus meis , quas meliùs novisti , quàm ego ; ex omni parte circumdedisti me bonitate tuâ ; suscepisti in te mala mea : pertulisti poenas , quas ego debui : profudisti totum sanguinem tuum , dedisti vitam , donasti merita tua , vicisti meos inimicos , aperuisti regnum cælorum , heredem fecisti me omnium bonorum cælestium . Ergo , Redemptor mi , non pereat in me tam larga & copiosa redemptio per infelices tentationes animæ , & miserabiles lapsus infirmitatis meæ ; sed conforta me virtute tuâ , protege me misericordiâ tuâ , ut semper te amem , fideliter resistam inimicis , qui cupiunt me separare à te , & omnibus malis , quæ displicent tibi , & multò meliùs novisti , quàm ego . Tanquam copiosissimus Redemptor , purifica illa , ut , cum erunt restaurata per te , unice Restaurator meus , tu vivas in me , & ego in te : tunc faciam quidquid tibi placuerit , & tu in creatura tua glorificaberis .

O Regina Angelorum , Domina nostra , & Administratrix omnium bonorum DEI ! sis Advocata mea in tentationibus , refrena furorem inimicorum , & corrobora debilitatem meam ; ut , te juvante , fugiant à me omnes contrariæ potestates , & ego glorificem sanctum Nomen tuum . O cæli cives , gloriosi triumphatores , qui transistis per nostra pericula , & jam estis in tuto , juvate hunc paupericulum , qui adhuc laborat in tentationum procellis ; ut adjutus à vobis , etiam socius fiam vestræ victoriæ . Amen .